



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

32. Ego rogavi pro te vt fides tua non deficiat. Et tu conuersus confirma fratres tuos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

Lucam dicit: *Hic calix nouum testamentum in sanguine meo*: quæ verba ostendunt calicem à Christo porrectum sic noui testamenti sanguinem esse, vel ad ipsum sic pertinere, vt calix ille sit etiã ipsummet nouum testamentum (quatenus illud confirmat) in sanguine suo: videlicet illo hausto & accepto quod in calice erat, de quo propterea adiecit, *Qui pro vobis effundetur*: quæ verba ad ipsum calicem referenda sunt (vt textus Græcus  $\tau\omicron$   $\acute{\alpha}\lambda\chi\upsilon\upsilon\beta\omicron\mu\epsilon\tau\omicron\upsilon$  in recto casu perspicue ostēdit) quia quod in calice erat pro nobis effundendum fuit non vtique vinum, sed sanguis Christi. Hic ergo verborũ Lucæ totus & germanus sensus est: Hic calix qui pro vobis effūdetur (id est, hoc quod in calice est pro vobis effundendum) est ipsum nouum testamentum, quatenus confirmat illud (sic enim circumcisio vocatur fœdus & pactum inter Deum & Abrahã, quia fœderis confirmatio erat) cum nouo Dei populo sancendum in meo sanguine: vt intelligatis tum sanguinem meum esse pro vobis effundendum & immolandum quem vobis porrigo, tum illum ipsum sanguinem à vobis hauriendum nouum fœdus cōstituere & confirmare inter Deum & vos, quia hoc accepto sanguine eritis intimè cum Deo coniuncti, facti nunc os ossibus meis, & caro de carne mea: non fide tantum, sed & re ipsa. Plura apud Matthæum vide.

Gen. 27.

32. *Ego rogam pro te vt fides tua non deficiat. Et tu conuersus confirma fratres tuos.*

Petri primatus.

CHRISTVS in omnium Apostolorum communi periculo pro Petro specialiter rogans ne eius fides deficeret, postea que addens vt ille

ille conuersus alios cōfirmaret, in illis verbis & non defecturā Petri fidē, & supremā cæteros corroborendi potestatem manifestè docet, simulque maiorē illū, de quo cōtentio erat, obiter ostendit. Sic ex hoc loco collegerunt Patres, S. August. in lib. de qq. noui & vet. test. q. 79. & serm. 124. de temp. Leo Magnus in anniuersario assumpt. suę: Ambros. in Psal. 43. Theophylactus in hunc locum: Bernard. Epist. 190. ad Innocēcium Papam: Lucius Papa in epist. decretali. Notandum verò quod Caluinus in commentarijs ad hunc locum horum verborum tractationem penitus prætermisit, & Institut. lib. 4. vbi omnibus Scripturis pro primatu Petri respondere conatur, hunc locū penitus dissimulat. Beza quoque in Annotationibus suis ad hæc verba nihil prorsus annotat. Aperta veritas os illis obturauit, satis alioqui ad aliquid semper cauillandū callidis. Sed nec in Marlorati cathena contra Petri primatum, ita luculenter tot Patrum testimonijs roboratum, aliquid affertur.

38. *Ecce duo gladij hic.*

**D** I V V S Bernardus in lib. 4. de consideratione ad Eugenium alludens ad hæc verba, duplicē ponit in Rom. Pontifice iurisdictionis gladium; vñ spirituale, alterum temporale; vt illum manu, hūc nutu suo proferrat. Deuoluit hoc in Canonistas Caluinus, & sic contra eos declamat: *Quod hinc eliciunt Canonistæ cornutos suos Episcopos duplici iurisdictione esse præditos, non solum putida est allegoria, sed proteruum ludibrium quo Dei verbo insultant. Atqui huc dementię prolabi oportuit Antichristi mancipia, vt palam sacrilego contemptu sacra Dei oracula calcarent.* Hęc ille rabula. Sanctissimum

Caluini  
maledi-  
centia re-  
tunditur.